

LEGISLACION COMENTADA

SUPREMUM TRIBUNAL SIGNATURAE APOSTOLICAE

NORMAE SPECIALES

I

DE CONSTITUTIONE ET MUNERIBUS SUPREMI TRIBUNALIS

TIT. I

De constitutione Supremi Tribunalis

Art. 1.—§ 1. Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae constat duodecim S. R. E. Cardinalibus, a Summo Pontifice nominatis, quorum unus, ab Eodem delectus, Praefecti munere fungitur, auxilium ferentibus Secretario, Promotore Iustitiae, Defensore Vinculi et Subsecretario.

§ 2. Signatura Apostolica constat duabus Sectionibus.

§ 3. Cardinales iudices causas cognoscunt per collegia quinque Membrorum, nisi Praefectus decreverit aliquam quaestionem deferendam esse Plenae Signaturae omnium Cardinalium qui Membra sunt Signaturae Apostolicae.

§ 4. Iudices, quemadmodum Secretarius, Promotor Iustitiae, Defensor Vinculi et Subsecretarius abstinere debent a causa pertractanda in casibus de quibus in can. 1613 § 1.

Art. 2.—Praeter Secretarium sunt in Apostolica Signatura Promotor Iustitiae, Defensor Vinculi, Subsecretarius, Praepositus Cancellariae, qui, ut pote Officiales maiores, a Summo Pontifice nominantur; praeterea sunt duo saltem Notarii; Custos tabularii et Bibliothecae; Protocollista cum adnexo munere distributoris; Arcarius cum adnexo munere expeditionis litterarum; Scriptores; qui omnes nominantur a Cardinali Praefecto, iuxta normas pro universa Curia Romana statutas.

Custodi tabularii munus adnectitur Ratiocinatoris.

Art. 3.—Consultorum locum tenent Votantes et Referendarii, qui nominantur a Summo Pontifice, proponente Cardinali Praefecto.

Art. 4.—§ 1. Promotor Iustitiae, Defensor Vinculi, Subsecretarius, Votantes praediti sint oportet laurea doctorali in utroque iure; Referendarii

NORMAE SPECIALES

ornari debent saltem laurea doctorali in iure canonico; Praepositus Cancellariae, praeter lauream doctoralem in iure canonico, consecutus sit necesse est diploma Advocati S. R. Rotae; omnes autem integritate vitae et iuris peritia eniteant.

§ 2. Sive Votantes sive Referendarii sunt duodecim, in quorum numerum admitti nequeunt Dicasteriorum Curiae Romanae Officiales vel maiores vel minores.

Art. 5.—Cursores et custodes Sedis Tribunalis assumuntur laici probatae vitae, qui nominantur iuxta communes normas servandas in Curia Romana.

Art. 6.—Causarum patrocinium in utraque sectione suscipere possunt Advocati Sacri Consistorii et Procuratores SS. Palatiorum Apostolicorum; admittuntur praeterea in sectione prima Advocati S. R. Rotae; immo, de peculiari Cardinalis Praefecti decreto, in sectione altera iidem admitti valent, dummodo vere periti in re contentiosa administrativa.

Art. 7.—§ 1. Promissionem de secreto servando deque munere fideliter obeundo omnes praestare tenentur, initio suscepti officii, praesente Notario, coram Cardinali Praefecto, vel, si de inferioribus ministris agatur, coram Praelato Secretario.

§ 2. Praeter promissionem de qua in § 1, Advocati et Procuratores, occasione admissionis ad patrocinandum in Apostolica Signatura, praestare quoque debent, coram Cardinali Praefecto, iusiurandum de non acceptandis emolumentis legitima honoraria excedentibus.

TIT. II

De singulorum muneribus

Art. 8.—Cardinalis Praefectus universo Tribunal praest; cum Secretario, Promotore Iustitiae, Defensore Vinculi quoties interesse debeat, Subsecretario et Cancellariae Praeposito, libellos examinat eosque admittit vel reicit; decernit qua ratione sit quaestio definienda; si casus ferat collegium iudicans constituit, designato Cardinali Ponente seu Relatore; deputat Referendarium ad relationem conficiendam; Votantem ad votum promendum pro rei veritate; itemque seligit Votantem ad extendendam decisionem; sub-signat rescripta gratiae vel decreta definitiva extra tramitem stricte iudiciale lata, aliasve provisiones quae eidem reservantur.

Art. 9.—Secretarius, sub ductu Cardinalis Praefecti, moderatur universum Tribunal et omnia quae ad causarum expeditionem pertinent; recipit libellos Cancellariae exhibitos, eosque cum Cardinali Praefecto ad normam art. 8 examinat; informationes requirit; formulam dubii coram Subsecretario concordati mutare potest; disputationem oralem admittit; veniam concedit ut acta, defensiones, relationes, votantium scripta typis imprimantur; in horum distributionem invigilat; resolutiones dubiorum cum Notario sub-signat; itemque sententiam originalem; exarandas curat, intra constitutum tempus, decisiones ad commissions pontificias spectantes; rescripta gratiae cum Cardinali Praefecto signat; iubet decisiones publicari per *Acta Aposto-*

licae Sedis; videt de deponenda pecunia deque expensis; prospicit ut disciplinaires normae ab omnibus ministris fideliter serventur.

Art. 10.—§ 1. Promotor Iustitiae Secretarium impeditum vel absentem suplet; intervenit in omnibus causis criminalibus; in causis contentiosis in quibus publicum bonum in discrimen vocari potest; in causis ad alteram sectionem delatis ad normam Const. *Regimini Ecclesiae Universae*, nn. 106-107, atque dimicat pro iustitia et veritate.

§ 2. Defensor Vinculi iura vinculi tuetur et intervenire tenetur in causis in quibus agitur de vinculo matrimoniali vel iudicialiter disceptatur de sacra ordinatione vel de obligationibus inde derivantibus.

§ 3. Tum Promotor Iustitiae tum Defensor Vinculi, si impedianter, substituuntur a Votante, deputando a Cardinali Praefecto.

§ 4. Uterque abstinere debet a muneric exercitio in casibus de quibus in can. 1613 § 1, et firmo can. 1614 § 3 quoad alios Tribunalis administros.

Art. 11.—Subsecretarius in cunctis adiuvat Secretarium; munus explet iudicis instructoris in causis quae a Tribunali instruuntur, ideoque ea praestat quae cum instructione causarum conectuntur, uti partes vel testes citare eosque excutere, dubia concordare, terminos moderari et alia eiusmodi.

Art. 12.—§ 1. Votantes munus obtinent Consultorum, qui designati in singulis casibus a Cardinali Praefecto, votum promunt pro rei veritate, exhibendum Patribus Cardinalibus; oralem discussionem petere valent, eique assistunt; iubente Cardinali Praefecto, unus ex iis decisionis motiva extendet eamque subscribit.

§ 2. Omnes Votantes a munere cessant septuagesimo quinto aetatis anno.

Art. 13.—Referendarii munus obtinent referendi in facto et in iure circa petitiones pro impetrandis commissionibus aliisque rescriptis. Praevia deputatione Praefecti, iidem relationem conficiunt, petere possunt oralem disputationem eique adsistere, suffragium habent consultivum in quaestionum discussione; a munere cessant septuagesimo quinto aetatis anno.

Art. 14.—Praepositus Cancellariae moderatur, sub ductu Secretarii, officium Cancellariae, quod unicum est pro utraque Signaturae Apostolicae sectione: ideo recipit libellos et documenta atque curat ut in protocollo referantur, antequam ea transmittat Secretario; custodit sigilla Tribunalis, rescripta, decreta et decisiones eorumque exsecutioni consultit; prospicit ut epistolae et omnia acta, quae nomine Cancellariae expediuntur, rite confiantur eaque signat; parat mandata solutionis vel exactionis; invigilat notariis ceterisque ministris, protocollo, tabulario, bibliothecae.

Art. 15.—Notarii utriusque sectionis Signaturae Apostolicae publicam fidem faciunt de actis coram se gestis; dicunt fidelitatem exemplarium cum autographo; declarationem edunt de statu actorum quo causa invenitur; exsecutioni tradunt decisiones vel decreta; adsistunt excussioni partium vel testium, necnon interrogatoriis peritorum, quorum responsiones integre et fidelissime scripto consignant et perlegunt, atque, mentione facta de iis quae mentione digna sunt, cum iudice subsignant; praesto sunt Secretario in epistolis parandis (vulgo: minuta); sedulo cavent ne mendae in scripturam

NORMAE SPECIALES

irreparant; in Kalendario notant diem assignatum actis ponendis; eorum senior nominatione vicem gerit Praepositi Cancellariae ad tempus absentis.

Art. 16.—Inferiores ministri munera explent eis propria, iuxta normas communes Curiae Romanae.

II

DE SECTIONE PRIMA

TIT. III

De competentia

Art. 17.—§ 1. Sectionis primae Supremi Tribunalis est invigilare pro munere suo iustitiae ad normam SS. Canonum administranda, ideoque rectae iurisprudentiae tuendae.

§ 2. Per eandem sectionem Signatura Apostolica iudicat:

- 1) De querela nullitatis contra sententiam rotalem, prout indicatur in art. 19;
- 2) De expostulatione pro restitutione in integrum, servatis quae iuxta art. 20 servanda sunt;
- 3) De recursibus adversus sententias rotales in causis de statu personarum, quas ad novum examen Sacra Rota admittere renuit;
- 4) De exceptione suspicionis contra aliquem Sacrae Rotae Auditorem, ad normam art. 21;
- 5) De violatione secreti, ac de damnis ab Auditoribus Sacrae Rotae illatis eo quod actum nullum vel iniustum posuerint;
- 6) De recursu contra Advocatos vel Procuratores immodica honoraria exigentes.

Art. 18.—Vi potestatis administrativae, forum iudiciale respicientis, ad hanc primam Sectionem etiam pertinet:

- 1) Cognoscere de iis quae Signaturae Apostolicae per Concordata inter Sanctam Sedem et varias Civitates tribuuntur;
- 2) Videre de petitionibus per supplices libellos ad Ss.mum porrectis ad obtainendam causae commissionem apud Sacram Rotam;
- 3) Prorogare competentiam tribunalium, etiam pro causis matrimonialibus constitutorum;
- 4) Extendere forum peregrinorum in Urbe ad processus nullitatis matrimonii, quoties extraordinaria adjuncta et gravissimae causae concurrant;
- 5) Solve re conflictus competentiae qui enasci contingant apud tribunalia inferiora, ad normam can. 1612 § 2;
- 6) Erectionem curare tribunalium regionalium vel interregionalium.

Art. 19.—§ 1. Querela nullitatis contra sententiam rotalem proponi potest in casibus enumeratis in cann. 1892 et 1894, dummodo vitia ibidem recensita manifeste appareant. In dubio, recursus fundamento destitutus ha-

bendus est. A limine recursus reicitur, quoties defectus legitimi mandati sanatus est ad normam paragraphi sequentis.

§ 2. Vitium in mandato procuratorio sanatum habetur ob appellationem interpositam ab ipso actore, sive per se sive per Procuratorem, adversus quamlibet sententiam, antequam altera pars nullitatem opposuerit; aut generatim ob actum quemlibet actoris ante querelam nullitatis positum, unde sanatio per ratihabitionem colligatur.

§ 3. Querela nullitatis produci potest non solum contra sententiam definitivam, verum etiam adversus interlocutoriam, a Sacra Rota quomodocunque emissam, dummodo tamen gravamen inde sit oriturum irreparabile per definitivam sententiam, aut ipsa sententia vim habeat definitivae.

§ 4. Quoad tempus intra quod querela proponi potest, serventur can. 1893 et 1895.

§ 5. Si contra eamdem sententiam rotalem querela nullitatis cum appellatione cumuletur, illa coram Signatura, haec coram turno superiori Sacrae Rotae proponenda est. Sed definitio querelae, ut par est, definitionem appellationis praecedere debet.

Art. 20.—§ 1. Petatio restitutionis in integrum fit intra temporis spatium et propter causas quae in can. 1905 indicantur.

§ 2. Voluntaria exsecutio rei iudicatae post sententiam definitivam ultimi gradus, minime extinguit ius petendi atque obtainendi a Signatura Apostolica restitutionem in integrum.

§ 3. Petatio restitutionis in integrum, sententiae executionem nondum inceptam suspendit. Si tamen suspicio sit ex probabilibus indicis petitionem factam esse ad moras exsecutioni nectendas, iudex decernere potest ut sententia exsecutioni demandetur, assignata tamen restitutionem petenti idonea cautione ut, si restituatur in integrum, indemnisi fiat (can. 1907).

Art. 21.—§ 1. Suspicionis exceptioni contra aliquem Auditorem S. Romanae Rotae, locum praebent motiva in can. 1613 § 1 recensita.

§ 2. Proposita exceptione de merito causae, admitti nequit exceptio suspicionis contra Auditorem, nisi argumentum suspicionis posterius innotuerit.

Art. 22.—Terminus intra quem causa, ad Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal ex commissione Ss.mi delata, inchoari potest, est trimestre a die obtentae commissionis.

TIT. IV

De iudiciali ratione procedendi

PARS I: In querela nullitatis et restitutione in integrum

Caput I: De recursu ac eius admissione vel reiectione.

Art. 23.—Libellus exhibetur Secretario per Cancellariae Praepositum, allegatis exemplari authentico sententiae impugnatae, mandato procuratorio et apocpha certae summae in cautionem traditae arcario.

NORMAE SPECIALES

Art. 24.—Summa pecuniae de qua in art. 23 cedit aerario Sanctae Sedis, si recursus reiciatur; ab expensis subducitur, si recursus admittatur.

Art. 25.—Acceptum libellum eiusque adnexa documenta Cancellariae Praepositus in fasciculum colligit, quem, in appositorum librum relatum et numero signatum, ad Secretarium remittit, ut, per decretum adversae parti notificandum, terminum is constituat ad animadversiones contra recursum Tribunalis subiiciendas; secus contumaciter procedendum.

Art. 26.—§ 1. Notificationis actus exaratur a Notario, qui post Secretarium signat sigilloque Tribunalis actum communit.

§ 2. Ad validitatem exemplaris, parti vel eius procuratori tradendi, satis est subsignatio Notarii et sigillum Tribunalis.

Art. 27.—§ 1. Notificationes omnes transmittuntur per cursorem ipsius Supremi Tribunalis vel, si agatur de parte quae extra Urbem commoretur, per litteras commendatas et cum syngrapha receptionis.

§ 2. Cursor fidem facit, in calce ipsius actus, peractae traditionis.

§ 3. Quoties ignoretur locus ubi commoratur persona cui tradendus est actus, Secretarius id fieri iubeat per Curiam dioecesanam aut per alia media quae necessaria vel opportuna in casu videantur.

Art. 28.—Elapso termino parti conventae constituto ad iura sua deducenda contra recursum, neque ab ipsa parte conventa productis animadversionibus, Secretarius, nisi censuerit per novum decretum renovari citationem, procedere potest ad ulteriora.

Art. 29.—Per Secretarii decretum explanationes, in iure et in facto, pro rei opportunitate exigi possunt, sive ab actore sive a convento; cuius decreti notificatio fieri debet parti a qua deductiones exquiruntur, quin ius sit alteri parti quidquam obiiciendi.

Art. 30.—§ 1. Praeter deductiones de quibus in art. 29, Secretarius, quo facilius et accuratius recursus naturam et rationes cognoscere valeat, a S. R. Rota acta omnia, quae praecesserunt, requirat.

§ 2. Ipsius Secretarii est, si id censuerit, exquirere insuper votum unius aut plurium Votantium, itemque Promotoris Iustitiae, et, in re matrimoniali, Defensoris Vinculi; vel etiam partibus, per legitimam citationem, diem dicere, ut coram se de recursus rationibus oretenus disputent, indicatis tamen argumentis quibus discussio continetur.

Art. 31.—Utrique vel alterutri parti fas est discussionem oralem, per scriptam instantiam, exposcere a Secretario, qui, decreto inappellabili, iudicabit tum de admissione discussionis tum de eius argumentis in instantia propositis.

Art. 32.—Partium rationes in discussione orali ab earumdem Advocatis explicantur, firma tamen facultate Secretarii, praesertim in causis criminibus, arcendi actorem ipsum vel conventum.

Art. 33.—§ 1. Oralem disceptationem moderatur Secretarius, praesente huius Sectionis Notario, qui argumenta a partibus prolata fideliter in scriptis refert.

§ 2. Discussioni praeterea interesse possunt, iubente Secretario, unus aut duo Votantes vel etiam Promotor Iustitiae aut Defensor Vinculi, qui, cum omnibus praesentibus et Notario, actum subsignant.

Art. 34.—Si qui in orali discussione ab ordine discesserit aut reverentiam debitam Supremo Tribunal non adhibuerit, congruis poenis mulctabitur per Secretarii decretum.

Art. 35.—Cardinalis Praefectus, intervenientibus Secretario, Promotore Iustitiae, Subsecretario, Votante, et, si casus ferat, Defensore Vinculi, die constituta decretum edit admissionis vel reiectionis recursus, ad normam iuris a Secretario et Notario notificandum omnibus quorum interest.

Caput II: *De litis contestatione.*

Art. 36.—Si recursus admissus fuerit, recepta decreti notificatione, parti diligentiori relinquitur apud Subsecretarium instare, ut dies praefigatur ad litis contestationem et dubia proponere.

Art. 37.—Decretum quo Subsecretarius citat partem adversam ad litis contestationem, parti instanti notificatur, itemque Promotori Iustitiae et Defensori Vinculi, si eorum officia id reposcant.

Art. 38.—Si partes non comparuerint vel de dubiis proponendis inter se minime convenient, Subsecretarius vel in alium diem litis contestationem prorogat vel controversiam remittit iudicio Secretarii, qui quaestionem incidentalem promovet, suo decreto dirimendam.

Art. 39.—Litis contestationi, praeter Subsecretarium et partes, neconon Promotorem Iustitiae et, si casus ferat, Defensorem Vinculi, interesse debet Notarius, qui omnia fideliter describit atque de iis fidem facit.

Art. 40.—§ 1. In casu querelae nullitatis vel restitutionis in integrum, dubium unicum concordandum est: *an sit nulla sententia;* aut: *an sit locus restitutioni in integrum.*

§ 2. In aliis causis et recursibus, quae a Signatura Apostolica iudicantur, de diversis dubiis concordandis quaestio esse poterit.

Art. 41.—In actu contestationis litis decernitur etiam quae pecuniae summa a partibus solvenda sit, tamquam depositum ad expensarum iudicialium cautionem; itemque terminus praestituitur ad defensiones atque documenta exhibenda.

Art. 42.—Dubiorum formula reformari nequit, nisi servata ratione procedendi, de qua in art. 38.

Art. 43.—Si agatur de recursu pro restitutione in integrum adversus sententiam quae in rem iudicatam transierit, pars recurrens cogi potest ad integrum depositum pro expensis faciendum. At, causa absoluta, Tribunal constituet quamnam pecuniae summam quisquis solvere debeat, et an aliquid recurrenti sit restituendum.

Caput III: *De discussione sive scripta sive orali.*

Art. 44.—Praemissa, si casus ferat, causae instructione, per Subsecretarium expedienda, terminus a Secretario praefinitur, ad exhibenda documenta et defensiones itemque Votum emittendum pro rei veritate a Promotore Iustitiae et a Votante, atque insuper ad animadversiones a Defensore Vinculi, si interfuerit, exarandas.

Art. 45.—Defensiones et documenta praebenda sunt saltem quadraginta diebus ante defensionem causae; distribuenda autem saltem triginta quinque diebus ante definitionem; responsiones vero exhibendae saltem viginti diebus et distribuendae saltem quindecim diebus ante ipsam causae definitionem.

Art. 46.—Defensiones et responsiones nonnisi de licentia scripta Secretarii imprimi possunt.

Art. 47.—Documenta deponenda sunt penes Cancellariam Supremi Tribunalis, ut ibidem, collecta in fasciculo, indice communito, examinari possint a partibus; quae autem typis sunt imprimenda, in authentico exemplari sunt a Praeposito Cancellariae exquirenda.

Art. 48.—Subsecretarius curat ut ad Cardinalem Ponentem seu Relatorem transmittantur acta omnia originalia, quae ad causam referuntur, una simul cum responsionum exemplaribus.

Art. 49.—§ 1. Secretarii est singulis Patribus Cardinalibus, collegium iudicantis constituentibus, saltem quindecim diebus ante causae definitionem, una cum responsionibus transmittere ex officio fasciculum in quo status iuridicus causae exponatur et summaria a partibus adducta compleantur, additis, scilicet, documentis quae necessaria atque opportuna videantur ad causam satius illustrandam.

§ 2. Quod si quis ex Votantibus vel Promotor Iustitiae aut Defensor Vinculi, post editas defensiones et responsiones a partibus, novas animadversiones addere existimaverit, eae in summario additionali ex officio Patribus Cardinalibus transmittantur saltem decem diebus ante causae definitionem.

Art. 50.—Responsionum distributione, conclusum in causa reputatur; admitti tamen etiam tum potest, in casu exceptionali et extraordinario, discussio oralis, a Cardinali Ponente seu Relatore requirenda per scriptam instantiam, rationes explanantem invocati beneficii et singula capita describentem de quibus disceptandum sit.

Art. 51.—Decretum Cardinalis Ponentis seu Relatoris, quo discussio oralis, ad normam art. 50, admittitur vel reicitur, est irrevocabile, atque partibus notificatur, adiecta citatione, si discussio fuerit concessa, in diem constitutam et designato disceptationis loco.

Art. 52.—Discussio oralis angustiori termino quam quinque diebus ante causae definitionem haberi nequit, eiusque acta sunt a Notario de mandato

Secretarii, ad Cardinalem Ponentem seu Relatorem statim transmittenda, cum documentis productis, si quae fuerint.

Art. 53.—Omnino prohibentur, non aliter ac informationes orales ad Iudices, scripturae ex gratia legendae atque generatim quaevis distributio defensionum aut responsionum approbatione Secretarii carentium et per trahitatem Notarii haud facta.

Caput IV: *De Sententia.*

Art. 54.—§ 1. Conventus Patrum Cardinalium, nemine alio adstante, causam definit. Haec definitio, quae partem dispositivam sententiae constituit, scripto a Cardinali Ponente seu Relatore redigitur, a singulis Patribus subsignatur et statim Secretario traditur.

§ 2. Decisio Cardenalium Iudicium, tum S. R. Rotae tum partibus notificatur, per actum subsignatum a Secretario et a Praeposito Cancellariae, necnon sigillo Supremi Tribunalis munitum.

Art. 55.—§ 1. Sententia Supremi Tribunalis vim suam habet, quamvis rationes in facto et in iure non contineat.

§ 2. Nihilominus sive ad instantiam partis sive ex officio, si res postulet, Supremum Tribunal edicare potest ut praedictae rationes a Votante scripto exponantur (cann. 1605; 1894 § 2).

§ 3. Votans qui rationes decidendi exponit vel idem assumitur qui processui interfuit vel alius a Cardinali Praefecto designatur.

§ 4. In quolibet casu decisio, intra triginta dies exaranda, iisdem verbis, quibus a Patribus Cardinalibus concepta fuit, mentem Iudicium fideliter referat, atque adprobacioni Cardinalis Ponentis seu Relatoris subiciatur.

Art. 56.—Secretarii est curare ut decisio edatur intra tempus in art. 55 § 4 constitutum, quod congrue prorogare, scripto decreto, potest, si nimis grave sit terminos observari.

Art. 57.—§ 1. Decisio, praeter causae historiam desumptam a statu iuridico de quo in art. 49 § 1, continere debet litis contestationem seu dubia concordata, responsiones, decretum circa expensas et mandatum exsecutivum.

§ 2. De eadem sententia, a Secretario subsignata, fidem facit Cancellariae Praepositus, adiecto sigillo Tribunalis.

§ 3. Quoties decisio sit extendenda a Votante, ab eodem subsignatur necnon a Secretario sub verbo “visa” atque a Cancellariae Praeposito.

§ 4. Sententia in actis Cancellariae asservatur, atque ex illa Notarii Tribunalis exemplaria in forma authentica, servatis servandis, confidere possunt.

Art. 58.—§ 1. Sententia intra bimestre a definitione causae publicanda est, ad normam can. 1877 C.I.C.

§ 2. Contra Sententiam Signaturae Apostolicae non est locus appellationi, salvis articulis 77 et 82.

§ 3. Nullitate declarata aut concessa restituzione, nisi Summus Pontifex aliter providerit, causa remittitur ad S. R. Rotam ut, iuxta suas normas, de merito iudicet (can. 1604 § 3).

NORMAE SPECIALES

Art. 59.—Lata sententia, arcarius expensarum rationes pro singulis partibus litigantibus expediet, iuxta decretum de quo in art. 57 § 1.

PARS II: In reliquis competentiae capitibus

Caput I: In formali examine sententiae.

Art. 60.—Iubente Cardinali Praefecto, ad Secretarium spectat curare ut sententiae latae pro nullitate matrimonii effectus civiles obtineant apud illas Nationes, quae de hac re conventionem cum Sancta Sede inierunt.

Art. 61.—Si nihil contra sententiam obiciendum sit, Secretarius decretum parat, quod a Cardinali Praefecto et ab ipso subscriptum, alterutri parti traditur ut, una cum Secretarii litteris, competenti tribunali civili exhibeat.

Art. 62.—Si dubium oriatur circa sententiae, ratione competentiae iudicium, citationis, mandati aut contumaciae partis legitimatem, quaestio examini alicuius Votantis subicitur et, auditio Defensore Vinculi, definitur a Cardinali Praefecto, intervenientibus Secretario, Promotore Iustitiae, Subsecretario, Votante et, si casus ferat, Defensore Vinculi. Si reapse sententia illegitima apparuerit, Cardinalis Praefectus quid faciendum sit decernit.

Art. 63.—Cum agitur de dispensatione matrimonii rati et non consummati analogia proceditur ratione.

Caput II: In iudicio de nova instantia.

Art. 64.—Recursus ad obtainendam novam instantiam post duas sententias conformes in causis de statu personarum, introducitur servatis normis de quibus in art. 23 et sqq.

Art. 65.—Intra brevem terminum, a Secretario praestituendum, pars recurrentis rationes petitionis in iure et in facto illustrat; Defensor Vinculi animadversiones exarat; Votans scribit pro rei veritate.

Art. 66.—Die constituta, Cardinalis Praefectus, intervenientibus Secretario, Defensore Vinculi, Subsecretario et Votante, beneficium novae instantiae, suo decreto, concedit vel denegat.

Art. 67.—Decretum, a Secretario et Notario subscriptum et sigillo Tribunalis munitum, partibus notificatur ad normam art. 58, et insuper, si petatum beneficium concessum fuerit, Decano S. R. Rotae per Secretarium significatur.

Caput III: In exceptione suspicionis et conflictu competentiae inter tribunalia inferioria.

Art. 68.—In exceptione suspicionis de qua in can. 1603 § 1, 2º et in conflictu competentiae de quo in can. 1603 § 1, 6º, recursus introducitur, serva-

tis normis statutis in art. 23 et sqq.; insuper per Subsecretarium informationes opportunae colliguntur et brevis instructio praemittitur.

Art. 69.—Intra terminum decem dierum exhibentur a partibus memorialia; deputatur Referendarius qui relationem paret intra decem dies atque unus vel plures Votantes pro voto edendo intra idem temporis spatium, quod praestituit quoque Promotori Iustitiae et Defensori Vinculi, si interfuerit.

Art. 70.—Cardinalis Praefectus, intervenientibus Secretario, Promotore Iustitiae, Subsecretario et, si casus ferat, etiam Defensore Vinculi atque Votante, rem expedifissime definit.

Art. 71.—Decisio a Secretario et Notario subscripta, ac sigillo Tribunalis munita, iubente Cardinali Praefecto, rationes in iure et in facto continere potest, a Votante redigendas.

Art. 72.—In exceptione suspicionis, Signatura Apostolica inappellabili sententia definit utrum locus sit necne recusationi Auditoris; decisionem mittit ad S. R. Rotam, ut iuxta suas Normas procedat, Auditore, contra quem exceptio mota fuit, in Turno manente vel excluso.

Art. 73.—Decisio notificatur ad normam art. 58.

Caput IV: *In causis contra Auditores Rotales.*

Art. 74.—In causis contra Auditores Rotales, processus evolvitur iuxta titulum XIX Libri IV Codicis Iuris Canonici.

Art. 75.—Interveniunt semper Promotor Iustitiae et Votans, servatis normis in articulis 44-47 quoad documenta et defensiones statutis.

Art. 76.—Sententia fertur ad normam art. 1 §§ 2-3 a Collegio Cardinalium Iudicum et publicatur ad normam art. 58.

Art. 77.—§ 1. In causis contra Auditores Rotales, firmo art. 51, datur facultas appellandi contra sententiam primae instantiae Signaturae Apostolicae.

§ 2. Iudicium autem appellationis obtinetur ab eodem Tribunali Signaturae Apostolicae intra terminum a can. 1881 statutum, et analoga ratione ac in prima instantia evolvitur.

Caput V: *In recursibus contra Advocatos et Procuratores.*

Art. 78.—Recursus contra Advocatum et Procuratorem immoda emolumenta exigentem, documentis instructis aliisve mediis probationis saltem descriptis, exhibetur Secretario per Cancellariae Praepositum.

Art. 79.—Decreto Secretarii recursus notificatur iis quorum interest, atque assumptis per Subsecretarium informationibus et auditio Advocato

NORMAE SPECIALES

denuntiato, acta traduntur Promotori Iustitiae, atque deputatur Votans qui votum exaret pro rei veritate.

Art. 80.—Quoad defensiones et responsiones normae servantur statutae in articulis 44-47.

Art. 81.—Decisio ferenda est ad normam art. 1 § 2, a Collegio Cardinalem Iudicum et publicatur servato art. 58.

Art. 82.—Relate ad appellationem, heic etiam viget art. 77.

Caput VI: *De expensis iudicialibus et proventibus Patronorum.*

Art. 83.—§ 1. Proventus Procuratorum et Advocatorum describuntur in tabellis conficiendis quarto quoque anno.

§ 2. Exceptiones contra Advocatos et Procuratores, immodica exigentes emolumenta, cognoscuntur servatis articulis 78-82.

Art. 84.—Inappellabili Secretarii decreto, exexecutiva formula praedito, rata habetur aut imminuitur quaelibet proventuum supputatio.

Art. 85.—Expensae pro actis ac decretis reguntur Titulo XVI Libri IV C.I.C.

TIT. V

De administrativa ratione procedendi

Caput I: *In impetranda causae commissione vel alia gratia in ordine ad iustitiam administrandam.*

Art. 86.—Ad impetrandam causae commissionem apud S. R. Rotam vel aliam gratiam in ordine ad iustitiam administrandam, per Cancellariae Praesidium exhibetur Secretario petitio, in qua etiam rationes petendi exponuntur, atque documenta, si casus ferat, allegantur.

Art. 87.—§ 1. Petitio notificatur parti adversae et reliquis quorum interest, ut intra tempus in notificatione statuendum, exhibeant, si quae habeant, suas animadversiones et documenta.

§ 2. Subsecretarius, iubente Secretario, petitionem, simul cum receptis documentis, informationibus, deductionibus tradit Referendario, qui scriptam conficit relationem, ubi, praeter speciem facti, exponuntur rationes in iure et in facto hinc inde deductae.

Art. 88.—§ 1. Cardinalis Praefectus, intervenientibus Secretario, Promotore Iustitiae, Subsecretario, Referendario et, si casus ferat, Defensore Vinculi, decernit utrum petitio deferenda sit Summo Pontifici pro gratiae concessione.

§ 2. Si decisio fuerit affirmativa, idem Cardinalis Praefectus eam subicit Summo Pontifici, qui, audita relatione, gratiam concedit vel denegat, atque, si casus ferat, ipsi Supremo Tribunal exsequendam committit.

Art. 89.—§ 1. Commissionis concessio vel denegatio, ex audiencia Ss.mi, decreto Signaturae denuntianda est S. R. Rotae, partibus et iis quorum interest.

§ 2. Inde a subscripta commissione, potestas S. Rotae acquisita est, nec cessat vacante Sede Apostolica, quamvis nondum ad S. Rotam fuerit transmissa.

§ 3. Decretum quo alia gratia conceditur vel denegatur, cum iis quorum interest communicetur.

Art. 90.—§ 1. Petitione a Signaturae Cardinali Praefecto reiecta utpote fundamento destituta, ille cuius interest potest ad eundem Cardinalem Praefectum recurrere, novis adductis documentis vel argumentis, ut res in examen iterum revocetur.

§ 2. Audito Votante, qui votum exarat pro rei veritate, necnon Referendario, qui novam exhibet relationem, Cardinalis Praefectus, intervenientibus Secretario, Promotore Iustitiae, Subsecretario, Votante, Referendario et, si casus ferat, Defensore Vinculi, decretum edit quod, si adhuc petitionem reiciat, est definitivum.

Art. 91.—Eadem ratio procedendi servatur in casibus de quibus in art. 18, nn. 3º, 4º.

Art. 92.—§ 1. Signaturae Apostolicae est curare ut tribunalia regionalia vel interregionalia erigantur, in locis ubi recta et sollicita administratio iustitiae id postulet.

§ 2. Si Cardinalis Praefectus, opportunis praehabitis informationibus et intervenientibus Secretario, Promotore Iustitiae, Defensore Vinculi, Subsecretario atque Votante vel Votantibus qui rei studuerunt, decernat tribunalia regionalia vel interregionalia alicubi esse erigenda, iubet parare Decretum erectionis cum relativis normis, ut approbationi subiciatur Summi Pontificis.

Caput II: *De vigilantia rectae administrationi iustitiae.*

Art. 93.—Praevia denuntiatione S. R. Rotae, vel Tribunalis appellationis, vel partis auf testis, vel praevia accusatione a Promotore Iustitiae instituta, fasciculus de quo in art. 25, a Cancellariae Praeposito collectus et in libro relatus atque numero signatus, traditur, per Secretarium, Cardinali Praefecto, qui, praehabito voto Promotoris Iustitiae necnon Votantis, iisque cum Secretario, Defensore Vinculi, si casus ferat, et Subsecretario intervenientibus, decernit oportunas inquisitiones vel in acta, vel, per inspectionem, in ipsa tribunalia eorumque agendi rationem, editas sententias, observantiam legum processualium.

Art. 94.—Inspectiones de quibus in superiore art. 93, gravibus de causis, etiam ex officio, seu nulla praevia denuntiatione, iuberi possunt a Cardinali Praefecto, una cum quatuor Patribus Cardinalibus, membris Apostolicae Signaturae.

Art. 95.—Cardinalis Praefectus, actis inquisitionis vel inspectionis perpen-

NORMAE SPECIALES

sis, exquisitis votis Promotoris Iustitiae et Votantis, et, si casus ferat, animadversionibus Defensoris Vinculi, rem decidendam remittit Collegio Patrum de quo in art. 94.

III

DE SECTIONE ALTERA

TIT. VI

De competentia sectionis alterius

Art. 96.—Per sectionem alteram Signatura Apostolica cognoscit:

- 1) contentiones ortas ex actu potestatis administrativae ecclesiasticae, ad eam delatas ob interpositam appellationem seu recursum adversus decisionem competentis Dicasterii, quoties allegetur legis violatio;
- 2) conflictus competentiae inter Dicasteria Sedis Apostolicae;
- 3) negotia administrativa ipsi delata a Romanae Curiae Congregacionibus;
- 4) quaestiones eidem commissas a Summo Pontifice.

TIT. VII

De ratione procedendi in sectione altera

Caput I: Normae praeliminares.

Art. 97.—Processus coram sectione altera evolvuntur sub secreto erga omnes, exceptis partibus earumque Patronis, qui possunt acta, post earundem publicationem, inspicere atque notulas sumere, itemque obtinere authenticæ exemplaria, de licentia Cardinalis Praefecti, et praevia scripta instantia, motivis suffulta, auditioque Secretario et Promotore Iustitiae.

Art. 98.—§ 1. Huius sectionis decisiones inspicere vel earumdem transcripta exemplaria obtinere possunt partes aliquae qui iustum causam ad hoc probent coram Secretario, dummodo ne Cardinalis Praefectus, sive ad instantiam partis sive ex officio, iusserit decisionem sub secreto servandam esse erga tertias personas.

§ 2. Tamen, etiam in hoc casu, facultas decisiones inspiciendi, vel exemplaria obtinendi, ita circumscribitur limitibus ut solus Cardinalis Praefectus eam concedere possit, perpensis motivis ab instanti allatis et auditio Secretario.

Art. 99.—§ 1. Partes possunt stare in iudicio solummodo per Patronum.

§ 2. Si pars, quavis de causa, non constituerit sibi patronum a sectione altera Signaturae Apostolicae admissum, Secretarius eam invitat ut aliquem defensorem pro sua fiducia nominet, intra tempus taxative ad hoc determinandum.

§ 3. Quod si pars intra statutum terminum invitationi non obtemperaverit, ipse Secretarius ex officio ad nominationem procedit.

§ 4. Patroni, sive a parte sive ex officio constituti, valent ponere et recipere, loco partis in causa, omnes actus processuales qui non sint ex rei natura ipsi parti reservati; at non valent actus ponere qui iuri de quo controvertitur praeiudicium ferant, nisi de speciali ipsius partis mandato.

Art. 100.—§ 1. Beneficium patrocinii ex toto vel ex parte gratuiti apud sectionem alteram concedit suo decreto Cardinalis Ponens seu Relator, auditus Secretario et Promotore Iustitiae.

§ 2. Decretum de quo in superiore paragrapho, subscribit etiam Secretarius; Notarius autem debet illud, sua signatione munatum, notificare.

Art. 101.—§ 1. Expensas processus et Patronorum proventus in sectione altera solvit Secretarius, e deposito attingens quod partes apud Cancellariam Signaturaе Apostolicae constituere tenentur. Rata taxam expensarum processualium et proventuum Patronorum singulis in casibus determinat Collegium iudicans vel, si processus ad decisionem definitivam non pervernerit, Cardinalis Praefectus.

§ 2. Si concessum fuerit beneficium gratuiti patrocinii, expensae processuales et congrua retributio Patronis debita, sumuntur ex pecunia hunc in finem in arcum deferenda (Fondo gratuito patrocinio).

Art. 102.—§ 1. Termini actis processualibus statuti sunt ordinatorii, nisi expresse peremptorii declarantur.

§ 2. Ius tamen est Cardinali Praefecto, necnon Secretario intra limites eius competentiae, terminos fatales constituere, si id requiratur pro casu expedite solvendo.

§ 3. Contra decisionem Secretarii, datur partibus recursus ad Cardinalem Praefectum.

Art. 103.—Nullitas alicuius actus processualis tunc tantum potest declarari, quando in actu ipso ea deficiant, quae ad finem assequendum sunt necessaria, numquam vero si actus reapse finem attigerit ad quem ordinatus est.

Caput II: Ratio procedendi in recursu adversus actus publicae Administrationis ecclesiasticae.

Art. 104.—Ad obtainendam decisionem alterius sectionis Signaturaе Apostolicae in controversiis de quibus agitur in art. 96, n. 1, opus est recursu, secundum communes normas processuales exarando (cfr. can. 1706 ss.).

Art. 105.—§ 1. Recursus Cancellariae exhibendus est intra terminum peremptorium triginta dierum a die qua decreta vel acta quae impugnantur notificata sunt, vel a die qua constet recurrentem revera illa ad normam iuris novisse; sin minus, intra eundem terminum peremptorium, recursus tradendus est officio publici cursus ut ad Cancellariam transmittatur, ea quidem ratione ut exhibeat syrapha authentica receptionis cum certa adnotatione diei.

NORMAE SPECIALES

§ 2. Haec syngrapha ab eo cuius interest actis adnecti debet.

§ 3. Signatura Apostolica generali regula, ad quinquennium valitura, terminos longiores potest statuere pro locis extra Europam, in quibus peculiariis quaedam difficultas praepedit media communicationis; huiusmodi decretum publici iuris fiet insertione in officiali commentario "Acta Apostolicae Sedis".

Art. 106.—Recursus inscribendus est alteri sectioni Signaturae Apostolicae et referre debet:

1) nomen et praenomen recurrentis, domicilium vel locum residentiae, necnon titulum, si recurrens non nomine proprio, sed qua repraesentans agit;

2) actum seu decretum administrativum quod impugnatur, et diem acceptae notificationis ad normam iuris;

3) summariam factorum expositionem, rationes quibus nititur recursus, leges quae violatae asseruntur et conclusiones;

4) subscriptionem partis recurrentis, vel Patroni mandato speciali instructi et, in altero casu, eiusdem mandati notas (estremi), nisi ad calcem ipsius recursus mandatum sit collatum.

Art. 107.—§ 1. Recursus est nullus:

1) si desit subscriptio requisita articulo praecedenti, n. 4;

2) si absolute incertum maneat de quibusnam personis vel de quonam obiecto in recurso agatur.

§ 2. In ceteris casibus Secretario facultas competit decernendi iterationem recursus intra terminum fatalem, suo decreto praestituendum.

Art. 108.—Recursui adnecti potest instantia, allatis motivis gravibus vel documentis quibus innititur, ad obtainendam suspensionem exsecutionis actus impugnati.

Art. 109.—Una cum recurso exhiberi debent:

1) tot exemplaria eiusdem recursus quot necessaria sunt ut statim cum omnibus communicetur inferesse habentibus;

2) mandatum speciale — si habeatur — subsignatione mandantis munitione, rite recognitum ab auctoritate ecclesiastica et probato Patrono collatum;

3) exemplar impugnati decreti, nisi a recurrente nequeat exhiberi vel quia Administratio publica exemplar concedere recusavit vel tempus utile ad recursum proponendum illud obtaineri non sivit;

4) documenta quae recursum fulcire asseruntur;

5) pecuniae summa, in arca deponenda, pro rata quam singulis annis decreverit Cardinalis Praefectus, vel petitio ad obtainendum beneficium gratuitii patrocinii, opportunis documentis munita.

Art. 110.—Ut legitime constet Administrationem publicam recusavisse tradere exemplar impugnati decreti, recurrentis probare tenetur se illud petuisse per litteras commendatas et cum syngrapha receptionis vel aequipollenti systemate locali, saltem quindecim diebus antequam expirarent fatalia.

Art. 111.—Sive Patronus recurrentis aut ipsa pars recurrentis, sive altera pars, debet pro processu domicilium eligere vel Romae vel in Civitate Vati-

cana, ad recipiendam notificationem actorum processualium ad se spectantium. Secus notificatio actorum fiet apud Cancellarium Signaturae Apostolicae.

Art. 112.—Ubi primum recursus cum documentis necessariis ad Cancellarium pervenerit, Secretarius curet ut communicetur cum Auctoritate ecclesiastica quae decisionem impugnatam tulit, necnon cum aliis quorum interest se opponere; exquirat a competente Auctoritate ecclesiastica ut acta omnia et documenta spectantia ad casum, de quo controvèrtitur, transmittat intra terminum peremptorium triginta dierum a recepta communicatione; invitet omnes quorum ex adverso interest ad exhibendum eventualem oppositum recursum vel ad deponendas responsiones et ad exhibenda acta et documenta pro su quisque parte, intra terminum pariter triginta dierum; demum ad deponendam pecuniae summam, similiter ac statutum est art. 109, n. 5.

Art. 113.—§ 1. Nisi iudicio Cardinalis Praefecti, auditis Secretario, Promotore Iustitiae et Subsecretario, instantia pro suspensione exsecutionis impugnatae decisionis sit a limine reicienda, Secretarius eiusdem instantiae notitiam illico communicet sive cum Auctoritate ecclesiastica quae decisionem tulit, sive cum quovis ex adverso interesse habente, praefixo termino triginta dierum ad constituendum sibi patronum vel ad deductiones aut documenta producenda, quae utilia sibi videantur pro causae definitione.

§ 2. Hoc tempore elapso, Secretarius integrum positionem, ex officio confectam, circa instantiam suspensionis tradat Promotori Iustitiae, eumque invitet ut votum suum promat intra ulteriore terminum decem dierum ab eadem positione accepta.

§ 3. Suspensio exsecutionis decisionis impugnatae concedi vel denegari debet intra et non ultra terminum sexaginta dierum ex quo recursus et adnexa instantia ad Cancellarium pervenerint.

§ 4. Si sectio altera Signaturae Apostolicae censuerit suspendendam esse exsecutionem impugnatae decisionis, decretum suspensionis quam expeditissimo tramite, Secretarius notifiet Auctoritati ecclesiasticae competenti, ut, nulla mora interiecta, ad effectum deducatur.

Art. 114.—§ 1. Si mandatum a recurrente conferatur Patrono post exhibitum penes Cancellarium Signaturae Apostolicae recursum, sed ante elapsum terminum pro exhibitione actorum et documentorum de quibus in art. 112, Patronus impetrare potest a Secretario terminum computandum ab accepto mandato, vel ab eius notitia, si ipsum mandatum directe transmissum fuerit Cancellariae, ut exhibeat tum restrictum defensionalem ad illustrandum vel etiam, si casus ferat, ad emendandum recursum porrectum a parte, tum nova documenta quae forte censeat utilia pro recurrentis defensione.

§ 2. Semper vero fas est recurrenti petere a Secretario facultatem porrigiendi ulteriore scripturam memorialem ad declarandum vel emendandum recursum, licet a Patrono exhibitum vel subsignatum, postquam inspexerit positionem et documenta, sive ex officio sive pro parte, oblata ad normam praecedentis art. 112 ab Auctoritate ecclesiastica et a quovis alio cuius interest se opponere.

§ 3. In huiusmodi scriptura memoriali recurrens potest proponere quoque additas rationes seu motiva recursus, quae quidem deduxerit ex inspectis

NORMAE SPECIALES

documentis et actis vel collectis ex officio vel productis a parte et ut supra depositis; itemque instare potest ut facultas ipsi fiat exhibendi ulteriora documenta in sui defensionem, quae necessaria visa sint post deposita acta et documenta, vel ex officio vel pro parte. Haec autem omnia perficienda sunt intra terminum triginta dierum ex quo Cancellaria communicaverit deposita esse acta illa et documenta.

§ 4. Partes resistentes ius habent obiciendi vel proponendi contrarium recursum, necnon exhibendi ulteriora documenta, ad refutanda ea quae recurrens produxit, intra terminum viginti dierum ab accepta notitia novarum deductionum vel documentorum ex parte recurrentis.

Art. 115.—§ 1. Expiratis terminis ad exhibenda defensiones vel scripta memorialia partium, Secretarius tradit omnia acta processus Promotori Iustitiae, ut hic votum promat pro rei veritate. Quod si ob molem laboris Promotor Iustitiae impar sit voto ferendo intra terminum de quo in sequenti paragraphe, potest Secretarius, petente in scriptis ipso Promotore Iustitiae, munus conferre singulis in casibus alicui ex Votantibus vel ex Referendariis Signaturae Apostolicae.

§ 2. Promotor Iustitiae, sive ordinarius sive ad casum deputatus, votum suum pro rei veritate apud Cancellariam deponere tenetur intra triginta dies ab acceptis actis processus. Quod votum Secretarius suo decreto cito communicet cum partibus in causa, quae respondere possunt intra terminum decem dierum ab accepta communicatione.

Art. 116.—Postquam, curante Cancellariae Praeposito, distributae fuerint omnes scripturae de quibus in praecedentibus articulis, Cardinalis Praefectus, intervenientibus Secretario, Promotore Iustitiae et Subsecretario, intra terminum viginti dierum decernit utrum recursus admittendus sit ad disceptationem, an reiciendus quia manifeste ipse caret fundamento.

Contra decretum reiectionis, datur recursus ad Collegium iudicans, intra terminos iure canonico statutos. Decisio Collegii nulli impugnationi est obnoxia.

Art. 117.—§ 1. Intra terminum triginta dierum ab admissione recursus, Secretarius convocat partes earumve Patronos ad summariam delibationem oralem processus, in qua quidem necessarias declaraciones petit, indicat quaestiones quas ex officio colligi posse et opportune tractandas censeat; quaestiones praediudiciales et fundamentales praefinit et proprios controversiae terminos statuit.

§ 2. Peracta summaria ac prævia delibatione, de qua in superiore paragraphe, si partes inter se consenserint, Secretarius potest iubere ulteriores investigationes administrativas, exquirenda documenta et positiones et, si casus ferat, complendam discussionem.

Partibus dissentientibus, videt Collegium iudicans.

§ 3. In peculiaribus casibus Cardinalis Praefectus potest decreto suo requirere votum consultivum alicuius iurisperiti in re administrativa, qui praeseferat optimas notas religionis et probitatis.

Art. 118.—Intra terminum triginta dierum a convocatione partium, de qua agit § 1 superioris articuli, — si nimis nullum statutum sit supplementum instructionis, neque requisitum votum consultivum de quo in § 3

eiusdem articuli —, vel intra terminum triginta dierum ab accepta notificatione de depositis apud Cancellariam suppletis documentis et investigationibus atque voto consultivo de quibus in §§ 2-3, recurrens debet, sua cura et sumptu, apud Cancellariam deponere tot exemplaria summarii processus quot Secretarius constituerit. Ius est partibus intra eumdem terminum deponere restrictum conclusivum in quo contineantur omnia petita, etiam ordinis instructorii, et complete evolvantur rationes, sive in facto sive in iure, quibus ipsa petita nituntur.

Art. 119.—Summarium et caetera processus acta, defensiones, scripta demum omnia, prout pars cuius interest maluerit, exarari possunt sive typis, sive dactylographicis aliis instrumentis, multiplicandis exemplaribus idoneis. Exemplaria autem facilia lectu, nitida et non mendosa esse debent. Secus Notarius ea substituenda curet impensis partis.

Art. 120.—§ 1. Intra sexaginta dies ab expleto termino de quo in art. 118 habetur conventus Collegii iudicantis.

In huiusmodi conventu Cardinalis Ponens seu Relator refer tenorem impugnatae decisionis et perstringit rationes allatas tum pro recursu tum ex adverso, necnon quaestiones praiejudiciales et de merito praefinitas in convocatione partium de qua agitur in art. 117; quas quidem quaestiones Signatura dirimendas suscepit.

§ 2. Dein Promotor Iustitiae breviter et ore tenus circa eas mentem suam pro rei veritate pandit.

Art. 121.—His peractis de quibus in art. 120 Collegium iudicans, nemine adstante, decisionem fert, cuius pars dispositiva a Cardinali Ponente seu Relatore scripto redigitur, a singulis Patribus subsignatur et statim Secreterio traditur.

Art. 122.—§ 1. Collegium Cardinalium iudicum, in deliberando de merito, decisionem ferre debet circa omnia proposita petita et respectivas exceptiones. Attamen circa quaedam tantum petita decisionem ferre potest, si haec sola non indigeant ulteriore instructione et eorum sollicita definitio urgens videatur.

§ 2. Decisio vim suam habet quamvis rationes in facto et in iure non contineat.

§ 3. Nihilominus Cardinalis Praefectus, aut Collegium Cardinalium iudicum, edicere potest ut praedictae rationes a Promotore Iustitiae aut a Votante scripto exponantur, servato art. 55 § 4.

Art. 123.—§ 1. Si controversiam, vel ex toto vel ex parte, non definit, Collegium Cardinalium iudicum potest suo decreto statuere ut testes adducantur, ut inspectiones fiant vel Peritorum examina, caeteraque iubere quae ad veritatis assecutionem conducant.

§ 2. Eodem decreto Collegium iudicans statuit terminos servandos et modos habendos in execuzione et potest partibus facultatem facere adstendi et adhibendi Peritos a Signatura Apostolica adprobatos.

§ 3. Ubi cum peragendum est supplementum instructoriae, Collegium iudicum ad illud delegare potest sive Subsecretarium sive Officialem

NORMAE SPECIALES

tribunalis ecclesiastici competentis ratione territorii, sive demum aliam personam in auctoritate ecclesiastica constitutam.

§ 4. Delegatus a Collegio iudicante instructoriam quamprimum incipiat ac sedula cura perficiat.

Caput III: Ratio procedendi in recursu pro compositione conflictuum de competentia inter Romanae Curiae Dicasteria.

Art. 124.—In casibus de quibus in art. 96, n. 2, recursus expediatur quam citissime et, congrua congruis referendo, adhibeantur normae processuales de quibus in superioribus articulis 112, 115 et sqq.

Caput IV: De processibus administrativis et disciplinaribus a Summo Pontifice commissis vel delatis a Dicasteriis Romanae Curiae.

Art. 125.—In casibus de quibus in art. 96, nn. 3 et 4, congrua congruis referendo, servandae sunt normae processuales statutae in articulis 104 et sequentibus.

Caput V: Normae generales remissionis.

Art. 126.—Quoad ea quae non praevidentur expresse in praesentibus peculiariis normis, servantur, quatenus applicari possunt, normae processuales statutae in Libro quarto, Parte prima, prima Sectione, Titulus a III ad XIII Codicis Iuris Canonici, ita quidem acommodatae ut quam maxime consularit peculiari illi brevitati, quam praeseferre debent processus celebrandi coram sectione altera Signaturae Apostolicae.